



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla LXII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit,
obligatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

Convenit cum *l. Consilii 47. D. h. tit.* Et ratio est; nam liberum cuique est apud se explorare, an expediat sibi consilium, *l. 2. in fine D. Mandati.* Deinde iniquum esset consultori damnosum esse officium suum, *l. Sed si quis 7. D. Quem adm. test. ap. Præterquam,* si ego alteri consulere, ut Titio (et sic ceteræ personæ) pecuniam crederet, aliàs non facturo; tenebor enim mandati actione, *§. tua tantum vers. & adeo Inst. De mandato, & l. Si remunerandi 6. §. si tibi mandavero D. Mand. ad similitudinem fidejussionis Contius ad d. §. tua tantum in notu.* Vel si fraudulentum consi-

lium alteri submitterem, in me competet actio de dolo, juxta hanc regulam, *in d. l. Consilii D. eod.* Planè & in Adlesfore receptum est, ut si is per imperitiam Magistratui aliter consulat quam oportet, ipse teneatur, *per text. in l. 2. D. Quod quisque juris,* quemadmodum & medicus, si per imperitiam peccaverit, *l. Ellicitas 6. §. sicuti D. De offic. praesid. l. Idem 8. in princ. D. Ad leg. Aquil.* Sed hoc idè, quòd uterque in culpa sit. Quippe nemo asseclare debet id, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram, *d. l. Idem circa su.*

REGULA LXIII.

Exceptionem obijciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

Regula huc translata est *ex cap. 6. Ext. De except.* & consentit cum Marcelli responso in *l. Non utique 9. D. De except.* Exempli loco sit, si petenti debitum reus conventus obijciat solutionem, vel pactum de non petendo, vel aliam exceptionem; non enim idcirco reus confitetur debitum præcessisse: aut si rei vendicatione conventus excipiat se eandem rem ab actore, donationis, permutationis, aut simili titulo accepisse. Nec enim inde inferendum est, actorem antea dominum fuisse, *per hanc reg. nostram.* Ratio in eo consistit, quòd exceptio non alià mente obijciatur a reo, quam ad excludendam actoris intentionem, non ad eam fundandam. Non igitur contrarium effectum operari debet exceptio: actus enim nostri (dici Solet.) non operantur ultra in-

entionem nostram, *ex l. Non omnia 19. in princ. D. Si cert. peras.* Neque in dubio credendus est reus, eam viam sibi eligere voluisse, ut seipsum impugnaret & adversarium juvaret, *arg. l. 3. D. De milit. testam.* Huc revocatur illa quaestio, An qui hominem defendendi sui causà se occidisse fatetur, homicidium eo ipso confiteatur, & tamquam homicida plectendus sit, si defensionem non probet? Quod certè non videtur, si æquitatem regulæ nostræ sequamur. *Vide Dec. & alios, ad c. 6. Ext. De except.* Omnium tamen tutissimum erit, si reus exceptionem suam conditionaliter obijciat, dicendo: Nego me tibi debere, sed si debui solvi tibi, & ita in cæteris; ut hac ratione oneretur adversarius ad probandam intentionem suam, *per text. in l. Si quis dem 9. Cod. De except.*

REGULA LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

Huc pertinent, quæ supra retulimus, *ad cap. Non firmatur & ad cap. Non prestat supr. eod.* Adeoque obtinet hæc Regula, etiam si simpliciter à jure quid prohibicum sit, nulla adjectâ clausulâ (ut loquimur) derogatoriâ vel annullativâ actus, *per text. in l. Non dubium 5. C. De legib. & qua ibid. tradit. Jason. num. 17.* Nec enim juris prohibitio licet simplex, effectu carere

debet, *can. Vides distinct. 10.*

Interim nonnullis casibus ab hac Regula disceditur: veluti in matrimonio contracto post simplex continentie votum, *cap. rursus 6. Ext. Qui Cler. vel vorvent. & cap. unico De voto & voti redempt. in 6.* vel contra interdictum Ecclesiæ, *tit. Ext. de matrim. contracto contra interdict.* vel cum neophyta, id est, cum ea, quam quis ante Bap-

Dddd

Euuu